

C A P U T V .

Lepus cœlestis,

QUamvis & leporem cœlestem præterire potuissem, tamen quia Astrologia Physicis studiis annumeratur, & de lepore quædam jocunda & ridicula nonnulla in illa de lepore habentur, strictim & quam brevissimè possum per curram. Quidam opinantur leporem juxta Orionis pedem extare fugientem, quod venator fuerit maximè insignis. Sed non omnibus placet hæc fictio: puerile enim esse putant, tam nobilem venatorem persequi leporem. Quare & Callimachus apud quosdam malè audit, quod inter Dianæ laudes dixerit: eam sanguine leporino gaudere ob idque eum venari. A quibusdam propter celeritatem nimiam inter astra numeratus est. Aliis inter sydera collocatus videtur, quod in Lerum insulam tanquam ignotum animal importatus sit prægnans, cujus partu & diligenti educatione, ita aucti sunt lepores, ut non solum totam insulam repleverint, sed etiam vastarint. Ne ergo fame perirent, interfecerunt, in mare deturbarunt, & omni studio ex insula abegerunt lepores. Quare Jupiter lepore in cœlum translato, homines monere voluit: sæpe nos expetere, & interdum plus damni, quam utilitatis adferat: neq; vere scire homines concupiscere quæ ex usu sint. A. Piccolom. & H. Decimator de stellis. Ptolomæus distin: 8. Alm. tribuit duodecim stellas, è quibus octo reliquis sunt lucidiores, duæ tertiæ, sex quartæ magnitudinis. Quæ ipsius tempore in Tauro & Geminis fuerent, nostro vero omnes in Geminis sub pedibus Orionis. Hunc à tergo sequitur Syrius. Aratus. Tullius in fragmentis Arati, Rustus, Festus, Novidius l. 16. Sacro: Fasto: Sub hoc sidere nati tanta sunt corporis levitate, ut cum currere cœperint, velocitate sua agitati, aves superare videantur. Hunc locum si Mars respexerit stadio dromolos facit: Si vero Luna cum Marte pistomacherios. Si Mercurius præstigiatores aut pilarum lusores. Si Venus pantomimes aut mimologos. Si Mercurius & Venus patiter novarum artium nimie diligentie studio perfectores, præsertim si hos eodem in omnibus quib. diximus apotelesmatis, dialis testimonium radiationis adjuverit. Quod si hunc locum Saturni per quadratum aut diametrum viderit, fugitivos faciet, qui lares suos, ad longinquas

Cur de lepore cœlesti agendum.

Quomodo in cœlum translatus.

1.

2.

3.

Quot stellis constet & ubi locatus.